

universali, vel particulari Ecclesie eventurus speretur. Qua de causa sanctus Petrus, princeps Apostolorum, de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset, cit. can. *Mutationes*, 7, q. 1. Hoc ipsum accidit, si ejusmodi translationem suadeat bonum pacis, et concordie: sive dein ipsa fiat ad praevidiam solemnem postulationem, qua episcopus unius Ecclesie per eos, quibus jus eligendi competit, postulatur ad aliam; sive ad praesentationem, vel nominationem alterius, puta Regis jus nominandi habentis; sive interveniente libera collatione, qua Summus Pontifex, ob meritum prerogativam, aut ex causa specialis necessitatis episcopum a sua ad aliam ecclesiam transferre dignatur.

11. *Et causa necessitatis. Ob hanc etiam fit translatio sedium episcopaliū.* — Necessitatis causa potest fieri translatio, si ob persecutionem hostilem, odium civium, aeris incommoditatem, vel alia simili de causa, episcopus in propria ecclesia tuto commorari non possit, d. can. *Pastoralis*, 7, q. 1. cum similibus. Quinimo hac de causa etiam fieri solent ipsarum sedium episcopaliū translationes; uti factum legitur in can. *Temporis*, 7, q. 1, et can. *Ita nos Scyllacænorum*, 25, q. 2, quæ posteriori in loco, ob geminatam sedem pontificum, episcopalis dignitas penitus fuit subtracta civitati.

12. *Effectus translationis episcopi, quales?* — Quæritur III. Quinam sint effectus translationis episcopi? Resp. eos potissimum esse sequentes: I. Translatio episcopi canonice facta dissolvit foedus conjugii spiritualis, quod est inter episcopum translatum et priorem suam Ecclesiam; ut c. *Bonæ memoriæ*, 4, § fin. de *Postulat. prælat.* II. Translatio id operatur, quod translatus episcopus nihil juris retineat in priore sua Ecclesia, can. *Si quis jam translatus*, 24, q. 1. Desinit enim esse episcopus illius civitatis, seu ecclesie, a qua transfertur, can. *In apibus*, § *Ecce*, 7, q. 1. Dummodo translatus fuerit ex causa utilitatis, et non ex solo metu hostilitatis, eo videlicet, quod civitas illa ab hostibus sit captivata, atque episcopus inde depulsus: nam tali cessante hostilitate, et captivitatis calamitate, ad priorem Ecclesiam redire debet; prout tum in cit. § *Ecce*, tum in proxime d. can. *Pastoralis*, 7, q. 1, limitatur. III. Translatione episcopi peracta, illico cessat prior Ecclesia, juxta dicenda n. 35, et seqq. IV. Episcopus ab una ad aliam Ecclesiam

translatus, contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur, arg. can. *Sicut alterius*, 7, q. 1, atque amplius, n. 32 et 33, dicitur.

13. *Textus in cap. II, h. t. quomodo verificetur?* — Quæritur IV. Quomodo verificetur textus ille Innocentii III, relatus in principio cap. II, h. t. illis verbis: « Inter corporalia et spiritualia eam cognovimus esse differentiam, quod corporalia facilius destruuntur, quam construuntur: spiritualia vero facilius construuntur, quam destruuntur. » Item illud paulo inferius ibidem subjunctum: « Cum ergo fortius sit spirituale vinculum (conjugii videlicet, quod est inter episcopum et Ecclesiam) quam carnale. » Ratio dubitandi est: quia spirituale foedus conjugii, quod est inter episcopum et Ecclesiam, in consecratione intelligitur consummatum, cap. ult. h. t. et tamen pluribus adhuc modis citra mortem naturalem episcopi quoad vinculum solvitur, ut puta hujus translatione, depositione, aut renuntiatione: econtra matrimonium carnale, semel consummatum inter fideles, nullo amplius modo, ne quidem auctoritate Summi Pontificis, quoad vinculum dissolvi potest; ergo non videtur subsistere, quod spirituale vinculum sit fortius carnali.

14, 15 et 16. *Spirituale vinculum, qua ratione sit fortius carnali?* — Ad hanc instantiam respondet Glossa in cit. cap. II, § *Fortius*, h. t. explicando dictam voculam illis verbis: « Fortius, id est, dignius: quoniam carnale in veritate fortius est, quia dissolvi non potest, » etc. Verum, ut recte ibidem notat Abbas n. 34, post Hostiensem, hæc solutio Glossæ videtur litteram violare. Proinde alia ratione, et quidem melius solvendo allatam instantiam,

Resp. I. Spirituale vinculum in cit. cap. II, h. t. dicitur esse fortius carnali, non quoad omnimodam veritatem, sed quoad certos respectus ad intentionem illius dicti Pontificis deservientes. Ita Abbas, cit. n. 34; Vallensis, h. t. n. 3, et alii; idque probatur ostendendo certos illos respectus fortioris vinculi ex parte conjugii spiritualis præ carnali. Imprimis enim matrimonium carnale ratum, nondum consummatum, dissolvitur etiam quoad vinculum, altero solo volente, per contractum matrimonii spiritualis, seu per professionem religiosam, c. *Ex publico*, 7, de *Convers. conjugat.* Non sic foedus conjugii spiritualis inter episcopum et Ecclesiam, quod per confirmationem intelligitur esse

ratum, cap. ult. h. t. de quo in cit. cap. II, eod. Pontifex ex professo loquitur.

Deinde loquendo de matrimonio consummato, possunt post illud adhuc conjuges mutuo consensu ingredi religionem, c. *Cum sis peritus*, 4, ad c. *Dudum*, 20, de *Conversion. conjugat.* sed non econtra professus religionem, potest inire matrimonium carnale, Clem. un. de *Consang. et affinit.* et consequenter vinculum spirituale fortius est quam carnale. Insuper in casu, quando alter infidelium convertitur ad fidem catholicam, et altero nolente converti, nec cohabitare illi absque blasphemia Creatoris, aliud matrimonium contrahit; dissolvitur prius carnale matrimonium jam consummatum, etiam quoad vinculum, c. *Gaudemus*, 8, de *Divortis.* Secus accidit in matrimonio spirituali: nam istud nunquam dissolvitur ex voluntate unius tantum, imo nec ex voluntate utriusque partis, nisi accesserit auctoritas Summi Pontificis, ipsos potestate divina, seu cœlitus sibi collata disjungentis.

17. *Illud fortius operatur præ carnali?* — Tandem spirituale vinculum conjugii inter episcopum et Ecclesiam, fortius operatur præ carnali; quia non solum conjungit corpora, sed etiam animos, et non solum duos, sed plures, arg. can. *Præcipimus*, 12, q. 1, et c. *Cum inter*, 21, de *Election.* Item conjugium spirituale, seu consecratio alicujus in episcopum, per quam illud consummatur, imprimit characterem indelebilem in anima ipsius; non sic matrimonium carnale. Et tandem, ut alia taceantur, matrimonium carnale in morte penitus dissolvitur: non sic spirituale, quia remanet adhuc character memoratus; sicque etiam in ordine ad dissolutionem fortius operatur spirituale vinculum, quam carnale.

18. *Conjugium spirituale episcopi cum Ecclesia, quando censeatur initiatum, ratum et consummatum, Episcopus est verus sponsus Ecclesie.* — Cæterum, quia hæc iterata mentio facta est de conjugio episcoporum cum Ecclesia, hinc sciendum, quod cap. ult. § I, h. t. de hoc inter alia sic legatur: « Sicut legitimi matrimonii vinculum, quod est inter virum et uxorem, homo dissolvere nequit, Domino dicente in Evangelio: *Quos Deus conjunxit, homo non separet*: sic et spirituale foedus conjugii, quod est inter episcopum et Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, et in consecratione intelligitur consummatum, sine illius auctoritate

solvi non potest, qui successor est Petri, et vicarius JESU Christi. » Concordat c. *Inter corporalia*, 2, § *Sicut enim*, h. t. ubi dicitur: « Non debet in dubium revocari, quin post electionem, et confirmationem canonicam, inter personas eligentium (quasi Ecclesiam representantium, ut Abbas ibid. n. 9, exponit) et electi, conjugium sit spirituale contractum. » Ex quibus verbis aperte liquet, quod inter episcopum et Ecclesiam sit verum foedus conjugii spiritualis; ac proinde, quod episcopus sit verus sponsus Ecclesie suæ.

§ II.

RESOLVUNTUR TRES NOTABILES QUÆSTIONES CONCERNENTES TRANSLATIONEM EPISCOPI.

19. *Papa an possit transferre episcopum invitum? Episcopus confirmatus, et nondum consecratus, nequit transferri invitum.* — Quæritur I. An Papa possit episcopum invitum ab una ad aliam Ecclesiam transferre? Resp. I. Loquendo de episcopo dumtaxat confirmato, et nondum consecrato, satis conveniunt doctores, quod ipse non possit transferri invitum. Ratio est, quia nemo potest invitum consecrari in episcopum. Unde satis est, quod episcopus confirmatus, nondum consecratus, dum transferri recusat, omnino cedat dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in episcopum. Abbas Panormit., cap. ult., n. 11, de *Postulat. prælat.*, et ibi Hostiensis, n. 1; Fagnanus, c. *Quanto*, n. 12, h. t., citans alios. Et hoc videtur certum; præsertim cum de facto post concilium Tridentinum, sess. 23, cap. II, de *Reformat.*, episcopi confirmati ipso jure sint privati suis Ecclesiis, si intra sex menses munus consecrationis non receperint.

Major difficultas est de episcopo jam consecrato, utrum invitum possit transferri ab Ecclesia sua ad aliam: et circa ejus resolutionem dantur diversæ doctorum sententiæ, quas breviter referre juvabit.

20. *Loquendo de episcopo consecrato, ponitur opinio negativa ejusque rationes.* — Prima igitur opinio, est negativa. Ratio præcipua ejus est: quia matrimonium spirituale inter episcopum et Ecclesiam initiatum, formatum, et consummatum, sicut carnale, arg. cap. ult., h. t.; ergo, sicut Papa matrimonium carnale ratum nequit dissolvere invitis sponsis, ita nec spirituale inter episcopum et Ecclesiam eo invito. Confirmatur. « Quia omnis res,

per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, » ut dicitur c. *Omnis res, de Reg. jur.* Sed spirituale matrimonium inter prælatus et Ecclesiam, non nisi consensu prælatus potest nasci, seu produci; ergo nec dissolvi absque ejus consensu. Accedit textus expressus in can. *Quamvis*, 7, q. 1, ubi sanctus Gregorius Papa inquit, quod alium loco viventis episcopi « (nisi recusante eo) nulla sinit ratiè ordinari. » Et huic sententiæ videtur adhærere Joan. Monachus, in c. *Generali*, n. 10, de *Elect.*, lib. VI.

21. *Loquendo de episcopo consecrato, ponitur opinio negativa ejusque rationes.* — Ad rationes, quæ in oppositum afferri possunt, et quarum potissimæ, num. seqq., afferentur, respondent auctores hujus sententiæ: quamvis per translationem a Papa factam episcopus absolvatur a vinculo prioris Ecclesiæ; tamen hujusmodi absolutionem non esse puram, sed conditionalem, si videlicet episcopus consenserit.

22. *Refertur opinio affirmativa, una cum suis fundamentis.* — Secunda opinio, directe priori opposita, censet Papam posse episcopum absolute transferre pro libitu voluntatis. Ratio esse potest: quia, licet ab initio nemo cogatur episcopari (neque enim quis invitus ordinari, seu episcopus consecrari potest), tamen, ex quo semel consensit, poterit per Papam ab una Ecclesia ad aliam etiam invitus transferri. Probat sequela. Quia una est Ecclesia universalis, per totum orbem terrarum diffusa, can. *Loquitur*, 24, q. 1; ergo, qui semel consensit in hac Ecclesia universali episcopari, non potest amplius resistere Papæ, ipsum transferenti pro bono publico ab una Ecclesia particulari ad aliam: siquidem hic solummodo alteratur locus, non autem dignitas respectu Ecclesiæ universalis. Accedit textus notabilis quoad hoc in can. *Scias, frater*, 7, q. 1.

23. *Papa in beneficalibus habet plenariam disponendi potestatem.* — Confirmatur id ipsum, quia Summus Pontifex in beneficalibus habet plenariam potestatem disponendi; ut c. *Licet*, 2, de *Præbend.* in 6, et Clem. 1, § fin., *Ut lite pendente*, etc, ubi dicitur, quod ad Romanum Pontificem omnium Ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum, « plena et libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere. » Ergo etiam de plenitudine potestatis poterit episcopum, quantumvis invitum, pro bono statu Ecclesiæ universalis, a sua Ecclesia transferre ad aliam;

alioquin ipsi quoad has non competeret plena, et libera dispositio. Accedit, quod juxta Hostiensem, et Abbatem, ubi supra, episcopus, si est consecratus, sicque proprio accedente consensu Ecclesiæ indissolubiler alligatus, hac in parte comparetur monacho, qui non habet potestatem contradicendi superiori suo; cum velle, aut nolle non habeat, can. *Noto*, et can. *Non dicatis*, 12, q. 1. Et hujus sententiæ est Glossa, in can. *Omnes qui gemebant*, 7, q. 1, vers. *Coacte*, ubi ait, quod Papa absolute potest cogere, arg. can. *Per principalem*, 9, q. 3; Baldus, in l. *Rescripta*, n. 8, C. de *Precib. imperat. offerend.*, ubi dixit, quod omnia beneficia mundi quoad Papam censentur esse obedientialia, et manualia: quod ipsum dicit Alexander, consil. 74, n. 29, lib. IV. Consentit Abbas, in cit. cap. ult. n. 13, de *Postulat. prælat.*, et ibi Hostiensis, n. 1; Joan. Andreas, n. 2, et communior aliorum.

24. *Limitatur dicta opinio affirmativa.* — Verum plerique hujus sententiæ auctores dictam suam sententiam limitant, eamque procedere aiunt in casu, quando Papa transfert episcopum invitum ad alium episcopatum ex causa publica, v. g. ob bonum commune pacis, aut ob necessitatem, vel evidentem utilitatem Ecclesiarum: secus autem, quando ipsum transfert ob favorem personæ, seu quia propter meritum vult eum honorare. In hoc quippe casu ultro fatentur requiri consensum ejus, qui transfertur: quia talis translatio non aliter censetur fieri per Papam, nisi sub conditione, si aliter erit consensus: ne alioquin, quod ob gratiam ipsius conceditur, in ejus dispendium retorqueatur, contra reg. 61 juris in 6.

25. *Papa quando intelligatur transferre episcopum ex causa publica, vel ob favorem personæ?* — Cæterum in dubio, an Papa transferat episcopum ex causa publica, necne, observandum aiunt, num Papa procedat providendo, vel jubendo: nam si procedat providendo, seu promovendo, non cogitur provisos transire, quia translatio censetur facta favore ejus. Si autem procedit jubendo, censetur facta ex causa publica seu favore Ecclesiæ; sicque cogitur transire, can. *Omnis*, 7, q. 1. Ita Baldus, cit. l. *Rescripta*, n. 8; Abbas, quæst. 1, n. 4; et card. Tuschus, litt. T., concl. 364, num. 9 et seqq., et alii. Quod si vero non appareat, utrum Papa processerit providendo, vel jubendo; ut si in litteris absolute dicatur: Episcopum Pernsi-

num absolvimus ab Ecclesia, cui præest, eumque ad Ecclesiam Ferrariensem duximus transferendum: tunc talis translatio præsumitur facta, non tantum favore Ecclesiæ, sive ob ejus utilitatem, sed etiam in gratiam personæ; et sic de episcopo non invito. Fagnanus, c. *Quanto*, num. 123, h. t., citans alios.

26. *Refertur tertia sententia, docens, quod Papa possit transferre episcopum invitum ex causa publica, non tamen pro libitu dumtaxat.* — Tertia, et media sententia docet, Papam ex causa justa, puta ob utilitatem, aut evidentem necessitatem Ecclesiæ, posse quidem episcopum invitum transferre; non tamen sine causa, et pro libitu dumtaxat. Et hæc opinio probatur imprimis rationibus pro utraque extrema sententia hactenus allatis. Deinde ratio ulterior prioris partis ea est; tum quia cit. can. *Scias, frater*, 7, q. 1, expresse loquitur de casu utilitatis, et necessitatis; et idem fit in aliis similibus juribus; tum quia in his, quæ sunt de jure divino, Papa non potest dispensare in casibus sibi permissis absque justa, et rationabili causa; quia non in destructionem, sed ædificationem, accepit potestatem suam a Christo; ut II *Corinth.*, XIII, 10. Atqui conjugium spirituale inter Ecclesiam et episcopum, est de jure divino; ut c. *Inter corporalia*, 2, et c. *Quanto*, 3, et cap. ult., h. t., ubi auctoritas illa: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, huic spirituali conjugio applicatur; ergo. Atque ex his patet magna sententiarum varietas: qua præmissa, pro ulteriori resolutione propositæ quæstionis, atque loquendo de episcopo consecrato ponenda est.

27. *Solutio vera.* — Resp. II. Quando Papa a sua Ecclesia ad aliam altiore transfert absentem et ignorantem episcopum, non censetur intendere (nisi secus exprimat) ipsum simpliciter et absolute transferre; sed solum sub conditione, quatenus is expresse, vel tacite consenserit. Ita Joan. Monachus, in can. *Generali*, num. 10, de *Elect.*, in 6, asserens se hoc vidisse pluries in Curia declarari; et sequitur Fagnanus, in cit. can. *Quanto*, n. 16 et seqq. et num. 97, h. t. Idque, præter dicta, num. 24 et 25, probatur ex eo: quia nemo invitus tenetur crescere, can. *Gesta*, dist. 74. Simulque in invitum non confertur beneficium, arg. l. *Invitum*, C. de *Contrahend. emptio.* Atque in ipsa beneficiorum ecclesiasticorum collatione subintelligitur conditio illa, « Si provisos consenserit; » ut legitur in c. *Si tibi absentis*, 17, de *Præbend.*, in 6

28. *Solutio vera.* — Resp. III. Quod si Papa omnino velit transferre ex causa utilitatis, vel necessitatis, episcopum ad altiore Ecclesiam, ut puta ad archiepiscopatum, vel cardinalatum, et alter nolit transire, poterit eundem Papa causative compellere ad præstandum consensum, etiam per subtractionem episcopatus præhabiti, ut sic de nolente fiat volens. Ita Glossa, can. *Omnis*, 7, q. 1, vers. *Coacte*; Abbas, cit. cap. ult., n. 12, de *Postulat. prælat.*, et alii. Atque hanc conclusionem ad minimum probant, et convincunt auctoritates, et rationes, pro secunda sententia, n. 22 et seqq. allatæ. Accedit textus notabilis in can. *Displicet*, 23, q. 4, ubi dicitur: « Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur, quæ nolunt; donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni. » Concordat, can. *Placuit*, dist. 74, ubi clerici pro necessitatibus Ecclesiarum promoveri contemnentes, a proprio gradu dejiciuntur.

29. *Consentiens ad comminationem Papæ, non dicitur facere actum voluntarium, sed necessarium.* — Porro in tali casu, si translatus tandem consentiat, non dicitur is facere actum voluntarium, sed potius necessarium: quia, licet interveniat ejus consensus, hic tamen non habet originem a causa mere voluntaria, ut accidit in resignatione sponte facta: sed est quidam consensus secundarius, qui præstat, ut libenter obediatur Papæ, cui etiam ab invito obediendum foret. Prout simile quid accidit in morte naturali: nam pie morientes pariter consensum accommodant, ita ut se conformes reddant voluntati Dei, sed non per hoc dicitur mors voluntaria. Card. de Luca, discours. 84, de *Beneficiis*, num. 9.

30. *Episcopus nolens consentire translationi per Papam factæ, potest absolvi a vinculo prioris Ecclesiæ, non tamen invitus alteri alligari.* — Resp. IV. Si vero nihilominus alter persisterit in sua sententia, et nolit consentire translationi per Papam motu proprio factæ, poterit quidem talis episcopus auctoritate papali a vinculo prioris Ecclesiæ absolvi; idque tum in pœnam suæ obstinationis et inobedienciæ, arg. cit. can. *Placuit*, dist. 74; tum ob causam communis utilitatis, vel necessitatis: non tamen potest omnino invitus, et coactus, alteri alligari, seu ad aliam Ecclesiam transferri. Ita expresse Glossa un. can. *Episcopus de loco*, 7, qu. 1. Jo. Andreas c. *Quod ob gratiam*, n. 1, in fine, de *Reg. juris*,

in 6. dicens: quod Papa possit transferre episcopum invitum, saltem ut careat prima Ecclesia, Sanning h. t. cap. 3 n. 2. asserens, quod, si translatus nollet consentire, nullum sequeretur conjugium spirituale inter ipsum et novam Ecclesiam; et fuse Fagnanus, cit. c. *Quanto*, n. 101 et seqq. h. t. Et quidem prior pars convincitur per rationes, num. 28 allatas.

31. *Solvuntur rationes opinionis primæ seu negativæ.* — Nec obstant rationes, num. 20. in oppositum adductæ, præsertim accedente causa publicæ utilitatis, vel evidentis necessitatis. Non prima, siquidem paritas inter matrimonium spirituale, et carnale, non est omnimoda: nam, ut taceantur aliæ differentia, ad Papam pertinet plenaria dispositio de beneficiis ecclesiasticis, idque de plenitudine suæ potestatis; non item de sponsis, eorumque corporibus: unde negatur consequent. Ad reg. 1 juris dicitur, eam potissimum procedere in obligationibus, et contractibus temporalibus, qui, cum solo mutuo consensu contrahantur, ita etiam eodem dissolvuntur: secus est in spiritualibus, ut explicat Glossa magna, ibid. Porro dictum sancti Gregorii nihil urget contra translationem episcopi ex justa causa factam: sed loquitur solum de episcopo ægotante, in cuius locum nulla similitudo ratio alium consecrare, nisi ipsemet consentiat (nam afflicto non est addenda afflictio c. *Ex parte, de Cleric. ægot.*) sed est ipsi dandus coadjutor, uti ibidem dicitur.

32. *Episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur.* — Altera pars probatur ex eo, quia episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum Ecclesia, ad quam transfertur: atqui ad validitatem spiritualis conjugii, sicut et carnalis, necessarius est consensus contrahentium; ergo talis consensus etiam requiritur ex parte episcopi translati sicque omnino invitum nequit transferri ad aliam Ecclesiam, ut inter ipsum et Ecclesiam, censeatur ortum vinculum conjugii spiritualis. Minor patet ex c. *Cum inter, 21 de Elect.* ibi. « Ut per mutuum consensum eligentium, et electi, quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum: » ubi tali vinculum dicitur contrahi inter electum, et eligentes, quasi Ecclesiam representantes, sed non nisi mutuo consensu. Major vero probatur tum ex can. *Sicut vir*, 7. q. 1; tum ex c. *Inter corporalia*, 2. et c. *Licet in tantum*, 4. c. 1. ubi ad validam translationem episcopi

omnino requiritur, ut auctoritate Summi Pontificis, seu Christi in terris Vicarii, episcopus prius absolvatur a vinculo prioris Ecclesiæ; et consequenter is contrahit novum vinculum, quo conjugaliter maneat alligatus posteriori Ecclesiæ, ad quam transfertur, ne alioquin sit episcopus, et nullius Ecclesiæ Sponsus.

33. *Papa post Christum est sponsus Ecclesiæ universalis: alii episcopi sunt sponsi Ecclesiarum particularium.* — Nec obstat, quod sit una Ecclesia universalis, cui episcopus est alligatus; sicque in translatione ejus solummodo videatur alterari locus, et non dignitas, prout nonnulli argumentantur, ut dictum n. 22. Non obstat, inquam: quia proprie loquendo solus Christus est sponsus Ecclesiæ, can. *Ecclesiæ meæ*. § *Ipsa enim dist.* 97. juncto concilio Trident. sess. 22. *de Sacrif. Missæ*, cap. 1. ibi: « Dominus noster — in Cœna novissima dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ. » Et licet post Christum etiam Romanus Pontifex (cui soli competit nomen episcopi universalis Ecclesiæ) possit dici sponsus Ecclesiæ universalis, arg. c. *Quoniam*, 4. *de Immunit. Eccles.* in 6. ac tradit Fagnanus, cit. c. *Quanto*, n. 111. h. t. cum aliis. Nihilominus episcopi inferiores dumtaxat sunt sponsi Ecclesiarum particularium, can. *Sicut alterius*, 7. q. 1. etsi, sint ministri Ecclesiæ universalis, ac in partem sollicitudinis vocati, can. *Qui se scit*, 2. q. 6. Atque id ipsum desumitur amplius ex c. *Inter corporalia*, 2. § *Sicut enim*, h. t. ubi post electionem, et confirmationem canonicam, « inter personas eligentium et electi, conjugium spirituale contrahi dicitur: » nam personæ eligentium episcopos inferiores non representant Ecclesiam universalem, sed particularem, quæ suo erat viduata pastore; sicque opus habet electione alterius in sponsum, et pastorem suum.

34. *An, quando episcopus in consistorio Papæ est translatus, illico vacet prior sedes episcopalis? Proponitur opinio Glossæ, nolentis non vacare priorem Ecclesiam ante obtentam possessionem posterioris.* — Quæritur II. An incontinenti ac episcopus in Curia, seu consistorio Papæ est translatus, censeatur prior Sedes episcopalis vacare? Glossa magna in can. *Si quis jam translatus*, 21. q. 2. censet non vacare priorem Ecclesiam, nisi translatus pacifice obtinuerit corporalem possessionem Ecclesiæ posterioris; ut c. *Cum in cunctis* 7. § *Cum verso, de Electo*, ubi beneficia electi in episcopum primum vacant post confirmationem, ademptionem possessionis, et consecrationem, vel

saltem post lapsum temporis, ad eam petendam a jure præfixi. Concordat can. *Si quis episcopus* et can. *Si qui episcopi*, dist. 92. ubi habetur, quod si quis fuerit ordinatus episcopus, et a sua Ecclesia non recipiatur, non debet ejici a priori dignitate: imo (inquit Glossa ibidem. vers. *Ubi prius*.) prior Ecclesia debet eum recipere, licet interim alii fuisset collata; dummodo corporalem posterioris Ecclesiæ possessionem necdum habuerit, nec per eum steterit, quo minus hanc habeat, c. *Licet Episcopus*, 28. *de Præbend.* in 6. Accedit textus in c. *Si Beneficia*, 20. eod. in 6, ubi habetur, quod si quis dimisit beneficium suum propter aliud sibi collatum, quod postea reperitur alteri debitum, potest prius suum beneficium (etiam non obstante collatione hujus interim alteri facta) repetere, dummodo secundum alteri debitum absque difficultate dimittat: et consequenter etiam translatio episcoporum non censetur esse perfecta, neque prior Ecclesia vacare, antequam translatus habeat pacificam possessionem secundæ Ecclesiæ, vel saltem per eum steterit, quominus hanc habeat. His tamen non obstantibus,

35. *Quando episcopus transfertur sciens et volens, illico vacat prior episcopatus a die factæ in Curia translationis.* — Resp. I. Quando translatio cujuspiam episcopi fit ad hujus instantiam, vel de ejusdem præscitu ac voluntate, illico vacat prior episcopatus a die, qua ipse in Curia, seu consistorio Papæ, absolvitur a vinculo prioris Ecclesiæ, atque auctoritate Pontificia transfertur ad aliam. Ita ex professo Abbas Panormit., consil. 101, n. 3 et 4, lib. II; Rota, decis. 474, n. 6 et seqq., part. I, *Recentior*, ubi sub n. 16, ostendit erroneam esse opinionem illorum, qui, post Glossam proxime allegatam, dixerunt non induci vacationem episcopatus, nisi post obtentam possessionem secundæ. Fagnanus, in d. c. *Quanto*, n. 99, h. t., et Barbosa, lib. I., *Jur. eccles. univ.*, cap. XIX, n. 37, et in *Collectaneis*, ad cap. 1, n. 5, h. t., ubi refert notabilem declarationem insuper emanatam in verba proxime sequentia:

36. *Refertur decretum sacre Congregationis desuper emanatum.* — « Die 14 decembris 1624, sacra Congregatio illustrissimorum cardinalium negotiis episcoporum præposita, S. D. N. approbante, censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam dimittit episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem episcopus ab illius vinculo absolvitur in consistorio Sancti-

tatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Et posteaquam hujusmodi absolutionis notitiam episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento secretarii Sacri Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in capitulum tanquam Sede vacante: et ita posse, et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac vicarium juxta Tridentini concilii præscriptum eligere, Sedemque vacantem publicare. » Hactenus declaratio memorata.

37. *Idem probantur rationibus.* — Ratio conclusionis est, quia ex eo jam tempore vacat Ecclesia, quo episcopus volens, atque consentiens, ab ejus vinculo absolvitur, et ad aliam Ecclesiam transfertur: atqui hoc accidit pro tunc, quando in Curia, seu consistorio Papæ, fit translatio; ergo. Minor est certa: quia episcopus non potest de jure, etiam verbo, transferri ad aliam Ecclesiam, nisi prius absolvatur a sua Ecclesia; ut c. *Inter corporalia*, § fin., h. t., atque ab antiquo jam est observatum de more Romanæ curiæ, ut c. *Bonæ memoriæ*, 4, § fin. *de Postulat. prælat.* Simulque episcopus ille, ad cujus instantiam (ut supponitur) fit translatio, eo ipso in hanc consentit: nam, quicumque vult consequens, v. g., transferri ad aliam Ecclesiam, videtur velle antecedens; v. g., absolvi a propria ecclesia, ut c. *Præterea, de Offic. delegat.*, et l. *Ad rem mobilem*, et l. *Ad legatum*, ff. *de Procuratorib.*

38. *Idem probantur rationibus.* — Major vero probatur; tum quia sic translatus episcopus, desinit esse episcopus illius Ecclesiæ, a qua transfertur, can. *Si quis jam translatus*, 21, q. 2, ac quoad primam Ecclesiam habetur pro mortuo ex illa hora, qua transfertur, can. *In apibus*, § *Ecce in quibus casibus*, 7, q. 1, juncta Glossa, ibid., § *Defuncto*; ergo etiam jam tunc vacat prior Ecclesia; tum quia absolutio a vinculo prioris Ecclesiæ, quæ fieri solet per Papam, tollit fœdus spirituales conjugii inter episcopum translatum, et suam Ecclesiam priorem; ergo ex tunc Ecclesia remanet viduata, utpote carens sponso: prout simile quid accidit in carnali matrimonio nondum consummato, quando alter conjugum voluntarie ingreditur, et profitetur religionem, ut cap. II, et c. *Ex parte*, 14, *de Convers. conjugat.*; tum tandem, quia non potest esse acquisitio secundæ sponsæ spiritualis, nisi præcesserit liberatio a prima; alioquin